

Zc
6439



IV. 438

V I T A
W O L F G A N G I
M E U R E R I
M E D I C I, &c.



L I P S I A E,
M I C H A E L L A N T Z E N B E R G E R
excudebat.

Anno 1606.

VITAE
WOLFGANGI
MERRERI
MEDICI &c.



MICHAEL JANTZENBERGER
excudebat.
1800





V I T A

V V O L F G A N G I

M E U R E R I P R I -
mum descripta

à

M. B A R T H O L O M Æ O,
V V A L T H E R O.

Nunc recognita & aucta

à

M. I O H A N N E F R I D E -
R I C O, Professore Physico.



Ascitur V V O L F - Patria.
G A N G I U S M E U R E R U S
Aldenbergæ, quod est Misniæ
oppidum, Bohemiæ vicinum,
situm in monte arduo & un-
dique sylvis cincto, cujus radices alluit flu-
men rapidum Muglitium, longo quidem
tempore propter stanni seu plumbi argen-
tei venas satis notum, viris tamen eruditio-
ne doctrinæ & sapientia præstantibus pa-
rùm celebre ad eum usque diem, quo in
hanc lucem editus est M E U R E R U S, qui
non aliter atque A R I S T O T E L E S Sta-
giram, C A T O C E N S O R I U S Tuscu-
lum,

)

V I T A

lum, patriam obscuram conceptu fatuque suo nobilitavit.

Parentes & Majores. Hujus Pater VVOLF GANGUS (quem & ipsum parentibus olim honestissimis natum accepimus; patre nimirum IOANNE, cive Greslicense, spectatæ fidei viro, matre autem VVALPURGE TAUBENHEIM, piâ ac laudatâ fœmina.) postquam Berreuto ex superiore Palatinatu Aldenbergam advenerat Anno Christi 1488. venarum metallicarum studio permotus, arte sua, quam ex parente didicerat, opes mediocriter magnas sibi comparavit, talemque se erga incolas gessit, ut brevi temporis spacio præcipuis in Collegio juratorum ad res metallicas muneribus fuerit laudabiliter perfunctus. Nam & Magister, ut vocant, rerum Metallicarum & Decumanus à laudatissimo Sax. Duce GEORGIO constitutus est. Quibus in officiis suam fidem, industriam & diligentiam ita probavit omnibus, ut & gratus principi, & charus suis collegis ac civibus esset; usque ad annum Christi 1535. quo piè mortuus & honorificè in templo apud Aldenbergenses sepultus est; vir, dum esset in vivis, ingenti pietatis zelo animiq; magnitudine, & quæ civium hujus loci peculiaris virtus est, hospitalitate ac benevolentia erga peregrinos; licet ex incendio, quod totum ferè oppidum absumsit, magna

MEURERI.

gna opum facta esset diminutio.
 Hoc parente natus est VVOLF GANGUS
 MEURERUS XXIII. Maii, Anno Christi Nativitas
 IESU 1513. Matre ELISABETHA, ex REU-
 TERORUM antiquâ illa & Domini præce-
 ptoris PHILIPPI MELANTHONIS ma-
 ternâ familiâ. Præter verò VVOLF GAN-
 GUM ex eadem conjuge suscepit alios 10.
 liberos, tres masculos, septem fœmellas,
 quarum duas in prima infantia amisit, re-
 liquæ elocatae omnes fuerunt viris metalli-
 cis. Et ex harum unâ natus est CL. vir, GE-
 ORGIUS CUNELIUS, Philosophiæ ac Me-
 dicinæ Doctor & in Academia Lipsensi
 Professor eximius, qui A. 95. post millesimū
 quingentesimum, in medio cursu ætatis &
 honorum ex hac mortali vita evocatus est.
 Inter filios verò solum IACOBUM habuit
 artis suæ successorem, qui in vallibus Ioa-
 chimicis postea consedit. Alii tres artibus
 liberalibus dediti Reipub. & Ecclesiis po-
 stea utiliter inservierunt: VVOLF GAN-
 GUS, de quo hîc sermo est, in studio Phi-
 losophico & Medico: GEORGIUS & IO-
 ANNES in Theologia, quam ille apud
 Schnebergenses, hic apud Nepravicenses
 integrè & fideliter docuit.

Fratres &
Sorores.

Eluxit autem in primis VVOLF GANGI
 MEURERI annis præclara indoles & ani-
 mus studiis majoribus aptus, quàm essent

) (2

pater-

Disciplina paterna. Itaque Scholam patriam cupidè puerilis. frequentare, & Præceptores attentè audire, & audita diligenter domi ruminare. Hoc ocium literarium, ut filio jucundum, ita patri laboribus assiduis iisque manuariis assveto molestum esse cœpit, quòd arbitraretur illam inter libros & chartas assiduam conversationem, quandam desidiam & laborum fugam secum attrahere. Et haud dubiè literas deferere, & operis metallicis incumbere coactus fuisset filius **V V O L F - G A N G U S**, nisi anno ætatis **X I.** vix tandem hoc permittente patre, Pirnam missus esset, ubi tum bonas literas docuit **I O A N - N E S S C H A D I U S**, vir moribus gravis & opinione eruditæ doctrinæ, prout illa erant regionum nostrarum tempora celebris, à quo Græca conjungebantur Latinis, raro illius illiterati seculi exemplo. Præter Magistri eruditionem & diligentiam crebrò solitus est **M E U R E R U S** commendare civium Pirnensium in peregrinos scholasticos liberalitatem, quam ne nunc quidem patiuntur minui, præsertim erga eos, ubi beneficium non malè sentiunt collocari. Ex Schola Pirnensi Dresdam migravit, impulsus fama **I O A N N I S S C H E F F E L I I**, qui eo tempore & loco ludum regebat literarium, & postea Lipsiæ Iuris utriusque Doctor factus præter consulatum, quem aliquot annos

Præceptores in schola Pirnensi & Dresdensi.

MEURERI.

nos gefsit præclarè, ampliffimis in Acade-
 mia perfunctus est honoribus. Neq; enim
 illo feculo turpe habebatur priùs in scholis
 exerceri eos, qui poftea in Ecclefiis & Aca-
 demiis effent publica confenfuri pulpita,
 quin potius magno fibi adminiculo illam
 fuiſſe palæſtram multi magni viri ſunt li-
 berè confefſi. SCHEFFELIUS autem
 MEURERUM & propter ingenii bonita-
 tem, & propter ſtudium diligentia multum
 amavit, ſuique amoris argumentum
 eſſe voluit Græcum novi Teſtamenti codi-
 cem, quem diſcipulo flagranti ſtudio Græ-
 cæ linguæ dono dedit, quemque MEURE-
 RUS in aliorum Græcorum autorum defe-
 ctu nunquam de manibus tum depoſuit,
 & poſtea ob pietatem in DEUM, & grati-
 tudinem erga præceptorem ſemper ma-
 gnificat. Atque erant in hoc ſtudio Græca-
 rum literarum MEURERI tanti progres-
 ſus, tantaque de iisdem magiſtri exiſtima-
 tio, ut adoleſcentulum natu grandioribus
 condifcipulis præficeret, eique prælectio-
 nem fabularum Æſopi Græcarum com-
 mitteret, quo conatu cum ſeipſum doctio-
 rem reddiſſet, & inſuper Magiſtri amo-
 rem, condifcipulorum admirationem ſibi
 conciliaſſet: Paulò poſt Lipſiam tamquam
 ad uberiores literaturæ mercatum ſe con-
 tulit, ubi receptus eſt in album Academiae,

Studium
 Græcæ
 Linguæ.

Lipſiam
 venit anno
 1529.



V I T A

Primæ ip-
sius operæ
in mona-
sterio &
Schola D.
Thomæ.

Rectore G E O R G I O à Z O D E ; & mox
ab eo tempore non pœnitendos suorum
studiorum fructus, veluti primitias quas-
dam percepit. Nam eruditæ doctrinæ qua-
licunque copia conjuncta cum pietate &
modestia facilè sibi amicos invenit, & pa-
tronos comparavit tum alios tum inprimis
præpositum Monasterii D. T H O M Æ, quem
adeò faventem habuit, ut juniores mona-
chos ab hoc solo vellet in Græcis literis e-
rudiri. Non ita multò post Scholæ Thomi-
anæ Rector constitutus est C A S P A R B O R-
NERUS vir in studiis humanitatis apprime
doctus, de re nostra literaria optime meri-
tus. Huic multum placuit M E U R E R I in-
genium, eruditio & diligentia, ideò eum
sibi adjunxit, & laborum Scholasticorum
socium esse voluit, ei que supremum post se
locum inter Collegas assignavit. Et retinu-
it B O R N E R U S ad altiora evedtus eundem
erga M E U R E R U M animum. Neque minor
observantia M E U R E R I erga B O R N E-
R U M fuit, quem veluti alterum parentem
amare, & ut patronum summum colere
omni vitæ tempore, etiam absens non de-
stitit. Testantur hoc literæ ex Italia scriptæ,
quibus & studiorum & temporis & sum-
ptuum rationem reddit, illiusque consili-
um in rebus gravissimis expetit.

In his scholasticis pulveribus sibi diutius
immo-

MEURERI.

immorandum esse MEURERUS non putavit, sed animum ad majora appulit, & quid in Academia doceretur, inquisivit, ac juxta præscriptum illius ordinem, studiorum suorum curriculum instituit. Unde etiam sibi studii Philosophici supellectilem comparavit, quæ sufficeret ad primam lauream testimonio publico reportandam. Nam cum rerum cognitione orationis puræ & elegantis studium conjunxit, versus etiam scribere non infeliciter tentavit, & compos voti sui factus est anno ætatis 18. Decano HENRICO GODESCHALCO, cujus monumentum ex ære adhuc apud nos in æde Paulina visitur. Cumque præ aliis harum regionum Academiis plerisque, ne dicam omnibus, disputationum publicarum exercitium à majoribus prudenter institutum diligenter à grata posteritate conservetur: MEURERUS jam Baccalarius factus, cui deinceps & præsidendi publicè, & conferendi de aliorum proposita materia munus esset imponendum: non tantum loca doctrinæ publicæ & disputationum frequentare, & alios conferentes diligenter audire, sed etiam domi inter privatos parietes cum suis amicis de studiis familiariter colloqui, & nonnulla in disputationem vocare, cui exercitio singulis septimanis dies Saturni peracta cœna erat

Vita & studia
Academica.

Baccalarius
Philosophiæ factus
Anno 31.

Serotinæ
seu vesper-
tinæ dispu-
tationes
Baccalau-
reorum in
Acad. Lips.
primùm
institutæ.

Magisterii
titulo or-
natus an-
no 34.

destinatus, quando præfidente aliquo ad id præparato reliqui placidè conferebant, tum ut veritatem elicerent, tum ut sese tyronum instar ad futuram pugnam præpararent. Hæc privata paucorum diligentia plures excitavit, eosque impulit, ut sese his adjungerent, à quibus etiam benignè sunt admissi usque adeò, ut loci angustia cogeret eos de loco capaciore esse sollicitos, & autoritas Magistri, cui esset novi collegii curatio commissa, permetteret illis locum doctrinæ publicæ. Unde factum est, ut pluribus concurrentibus partim rei novitate, partim studio discendi impulsis, quæ hæcenus erant in uniuscujusque voluntate positæ *συστηνόμεναι*, postea legibus astringerentur, & in singulis collegiis institui juberentur eodem die eademque hora, quæ adhuc observantur retento quidem nomine vesperinarum disputationum, sed mutata hora, nescio cujus religioso instituto. In hac disputationum palæstra cum sese MEURERUS totos annos tres exercuisset, cumque studiorum ordinem secutus fuisset, qui est præscriptus: summum in Philosophia gradum petiit, quem consecutus est facilè à Censoribus studiorum & morum rigidis illis ac severis; Decano tunc temporis M. Laurent. Siebeneicher/ Procancellario autè M. Friderico Peypus Forchemio; & eodem

MEURERI.

dem postea habuit autores & promotores, ut amplissimus Senatus Lipsensis huic novo Magistro non ambienti, imò ne speranti quidem permitteret gubernaculum Scholæ Senatoriæ ad D. NICOLAUM apertæ, quam rexit annos sex in magna discipulorum frequentia, & ex qua prodierunt multi omnium ordinum viri præstantissimi IO-ANNES IENITZIUS, postea sereniss. Electoris Sax. AUGUSTI Secretarius præcipuus; LAMPERTUS DISTELMEIER, Illustriss. quondam Electoris Brandenburg. Cancellarius; HEINRICUS SALMUTH olim ecclesiæ Lipsensis Super-intendens & Academiæ Professor, aliique complures, quorum opera fructuosa fuit non modò harum regionum Ecclesiis, Scholis & Rebus publicis, sed etiam exterarum. Etsi autem hæc schola non minùs est astricta arctissimis disciplinæ vinculis, in qua & ferulæ quoque sunt metuendæ contumacibus & negligentibus: tamen propiùs ad Academiæ libertatem accedit, cuius Rector vel est Professor Academiæ publicus, vel certè unus de Consilio Facultatis Philosophicæ, cuius discipuli immunes sunt ab oneribus, quæ alios ferre oportet scholasticos, & plerique studiosi sunt, quorum nonnulli ad publicam doctrinam audiendam admittuntur, nonnulli primâ laureâ ornati non

Rector
Scholæ Senatoriæ ad
D. Nicol.
designatus
anno 35.

Discipuli.



dedignantur Magistris suis docentibus unâ
cum aliis assidere, quorum magnam copi-
am perscriptam invenimus inter MEURE-
RI discipulos. Qua fide huic muneri præ-
fuerit, & ii possunt testari, qui adhuc in vi-
vis sunt, quiq̄ue annorum adolescentiæ ac
hujus institutionis recordantur, & libel-
lus ostendit in principio hujus institutionis
à MEURERO conscriptus & discipulis pro-
positus, nondum tamen in lucem editus:

Libellus
Meureri
de verâ ra-
tione & or-
dine studi-
orum.

DE RATIONE ET ORDINE STUDIO-
RUM RECTE INSTITUENDO;
Quem optandum esset manibus studioso-
rum teri quotidie: ita enim majori cum
fructu studiorum curriculum instituerent,
institutum feliciter consummarent. Dum
enim præ inopia consilii per omnia doctri-
narum genera veluti in amplissimo rerum
amœnissimarum campo hinc inde vagan-
tur, in copia inopes, plerumque inanes do-
mum redeunt, de qua remora scimus con-
questos esse multos viros clarissimos, qui
suo exemplo alios ab illa vagabunda studi-
orum ratione sunt dehortati.

Receptus
in nume-
rum Col-
legarum
minoris
collegii
principum
anno 38.

Cum hîc esset MEURERUS qualem
diximus, quadriennio post unanimi con-
sensu & fideli statutorum observatione co-
optatus est in numerum collegarum Col-
legii Principis minoris, successor CASPA-
RIS BORNBERI, qui translatus fuerat in
Col-

M E U R E R I.

Collegium Principum majus, cujus sunt reditus ampliores. Et fuit hæc successio initium alterius, quando post annos novem in mortui B O R N E R I locum idem M E U R E R U S fuit promotus. Atque ita B O R N E R U S, quem in principio laborum Scholasticorum habuit socium, publicorum commodorum successorem vivens singulari cum voluptate sensit, & moriens magno cum desiderio optavit.

Particeps hujus commodi factus M E U R E R U S, de Academia etiam publicè benè mereri voluit, cum hætenus pueritiæ primæque adolescentiæ suâ operâ maximè se infervisse animadverteret. Neque enim ignaviæ hi reditus Illustriss. Principum munificentia fundati sunt, & sudoribus antecessorum amplificati, sed studio juvandi rem literariam tum in aliis, tum præcipuè in studiis humanitatis, quorum magistris etiam peculiariter sunt destinati. Itaq; cum locum sibi in consilio communitatis studii bonarum artium peteret: & receptus fuit libenter, id temporis Decano M. Leonhar- do B A D E H O R N O, viro eximio; & honestissimo Collegio studuit esse ornamento. Erat iis temporibus ea profitendi Philosophiam ratio, ut ex Collegio Philosophico singulis semestribus forte eligerentur, quibus doctrina publica committeretur.

Adscitus
in collegi-
um Philo-
sophicum;
anno eo-
dem.

V I T A

tur. Cum enim collegæ essent plures, sti-
 pendia Professionum pauciora & exigua :
 cumque omnes digni haberentur hoc do-
 cendi munere : ea fuit à majoribus via in-
 venta , quæ neminem passa est illo honore
 & emolumento carere, nisi cui Deus & for-
 tuna invideret. An crebra hæc Professorum
 mutatio studiosæ juventuti profuerit nec
 ne , jam non disputo , quia hujus loci non
 est : hoc saltem dico , illam consuetudinem
 post paucos annos fuisse immutatam , &
 certis quibusdam commissa ea , in quibus
 explicandis tantisper versarentur , donec
 aut ipsi decederent , aut collegio nostro
 Philosophico aliter visum fuisset. Proposuit
 igitur in Academia studiosæ juventuti eo-
 rerum statu M E U R E R U S modò aliquid
 ex parvis naturalibus A R I S T O T E L I S ,
 modò ex Metaphysicis , modò ex libris de
 anima , & paulò post unanimi Electorum
 consensu, Decani munus illi est impositum,
 ut gubernaret totius studii Philosophici
 cursum , quod præstitit fide summa , pru-
 dentia singulari : Et quoniam præ aliis Phi-
 losophiæ partibus , quas tamen non osci-
 tanter neglexit , aut superbè contempsit ,
 tum natura sua , tum forte Professionum ,
 in eam potissimum incubuerat , quæ in na-
 turæ obscuritate causisque illius & effectis
 versatur , & Mathematicis disciplinis insu-
 per

Doctrina
 publica
 Meureri.

Decanus
 Collegii
 Phil. fa-
 ctus anno
 40.

MEURERI.

per diligentem operam dederat : super illud fundamentum , quod jam probè ja-
ctum fuit , cognitionis utriusque lingvæ,
doctrinæ Physicæ & Mathematicæ, extruere
cœpit artem medicam, in qua addiscen-
da Præceptoribus usus fuit in hac Acade-
mia HEINRICO STROMERO, GEOR-
GIO SCHILDELIO, IOANNE PFEILIO,
SEBASTIANO ROTHÄ, aliisque illius
temporis medicis clarissimis , quos &
docentes publicè audivit, & privatim assi-
duè consuluit. Cumque intelligeret studi-
um anatomes inprimis necessarium esse
Medico , non modò libros Anatomicos di-
ligenter evoluit, sed etiam operum naturæ
inspector oculatus esse voluit. Quoties igi-
tur vel à nostratibus Germanis , vel ab ex-
teris, ut EUSTATHIO QVERCETANO
Gallo, fortè Lipsiam transeunte : vel ab
APOLLONIO MASSA Italo , ad aliquod
tempus in his regionibus commorante , ac
medicas manus cuidam illustrissimo cor-
pori adhibente , occasio inspiciendi sectio-
nem corporis humani se offerret , tam hîc,
quàm in vicinia, illam arripuit avidè, & quæ
dicebantur tam ab anatomico , quàm aliis
Medicis notatu digna excepit studiosè, cu-
jus diligentia testis est libellus, quem ex ta-
libus observationibus conscriptum reli-
quit.

Studium
Meureri
in Arte
Medica.

In

V I T A

Profectio
in Italiam
anno 41.

Præcepto-
res & fami-
liares Meu-
reri in Ita-
lia Patavii.

In hoc pleno artis medicæ cursu mira in-
cessit MEURERUM cupiditas visendi I-
taliæ, quam sciebat florere viris solidè
doctis in omni scientiæ genere. Itaque pro-
priis sumtibus cum VVOLFANGO
VVERTERO, ULRICO MORDISIO,
IOHANNESPREMBERGERO, &
GEORGIO FABRICIO iter ingressus est,
& primùm appulit Patavium, ibique se to-
tum tradidit arti medicæ, exceptis iis ho-
ris, quas in studia humaniora & Philoso-
phiam impendit, quorum Professores tum
temporis erant LAZARUS BONAMICUS
& M. ANTONIUS IANUA. Quoscumque
autem sibi audiendos putavit, eorum be-
nevolentiam vera ratione quæsit, præce-
ptorum observantia, literarum amore, veri-
rectique studio. Hinc peritissimus ejus se-
culi Anatomicus, ex inferiori Germania in
Italiam vocatus, ANDREAS VESALIUS
Bruxellensis illum suum appellavit: excel-
lentissimus Medicus IOANNES BAPTI-
STA MONTANUS ut filium dilexit:
M. MONTAGNANA, quodocunque me-
dicinam fecit, comitem sibi adjunxit: Exi-
mius studiorum humanitatis Doctor LA-
ZARUS BONAMICUS, ut & PAUL. MA-
NUTIUS ALTI Filius, inter familiares
habuit, reliqui omnia humanitatis officia
prolixè illi obtulerunt.

Neq;

MEURERI.

Neque fatis habuit, fines Italiæ attigisse,
 sed cum VVERTERO & FABRICIO
 totam penè illam oram peragravit, in qua
 peregrinatione sibi etiam VALERIUM
 CORDUM EURICII F. adjunxit, cum
 quo altissima montium cacumina, rei her-
 baria studio perreptavit. Accùm Romæ Romæ,
 aliquantisper substitisset, sibiq; ALPHON-
 SI FERII, Professoris Chirurgiæ: IOSE-
 PHI CINTHII simplicium explicatoris,
 nec non LUCÆ GAURICI excellentissimi
 Astronomi, aliorumque benevolentiam &
 charitatem conciliaffet: Neapolim profe- Neapolì.
 ctus est, ubi inter Philosophos præ aliis
 SIMONEM PORTIUM: inter Medicos
 BRANCALEONTEM prædicavit, unde &
 alia Italiæ loca & illustres Academies per-
 lustravit, illarum Professores publicè audi- Bononiæ.
 vit, domi salutavit, Bononiæ LUDOVICUM
 BUCCAFERREUM Philosophum:
 Ferrariæ ANTONIUM MUSAM, & Ferrariæ.
 Hieronymum Fracastorium,
 medicos Florentiæ MATTHÆUM CUR- Florentiæ.
 TIUM medicum, & PETRUM VICTO-
 RIUM de Philosophia & literis humanio-
 ribus præclarè meritum, & si quid visu di-
 gnum esset, avidissimè cognovit, diligen-
 tissimè notavit. Longum esset referre sin-
 gula, quæ qui desiderat, is legat itinera
 GEORGII FABRICII Italica, quorum
 comes

Neq;

V I T A

Meurerus
 evocatus
 ex Italia
 ad Profes-
 sionem
 Philoso-
 phiæ Ari-
 stotelicæ
 anno 43.

comes individuus M E U R E R U S fuit, & quem unicum voluit autor esse hujus operis cenforem & emendatorem. Contigit autem illis annis, quibus M E U R E R U S in Italia fuit, ut M A U R I C I U S Dux Saxonix, post obitum patris H E I N R I C I, & de Republica rectè instituenda & de Ecclesiis ac Scholis harum regionum reformandis diligentem curam susciperet, præcipuè verò de Academia Lipsensi sollicitè cogitaret. Itaque utriusque lingvæ Professore I O A C H I M U M C A M E R A R I U M Tubingâ accersi curavit, & V Vitebergâ G E O R G I U M I O A C H I M U M R H E T I C U M, excellentissimum Mathematicum. Cumque adhuc desideraretur eximius quidam Philosophiæ Aristotelicæ explicator, qui solidè & sobriè eam doceret hætenus intricatam spinosis quorundam disputationibus, & ex interpretum lacunis potiùs, quàm veris fontibus haustam: præ multis aliis M E U R E R U S absens dignus visus est illo loco & munere. Itaque literis publicis, consultore P H I L I P P O M E L A N T H O N E, à Collegio Philosophico ad hoc munus ex Italia evocatus, licet ex medio studiorum cursu retraheretur, tamen paruit libenter, & doctrinam Aristotelicam professus est fideliter annos integros XXVII, neque ab illo munere discessisset, nisi

nisi a
 in de
 sione
 quira
 cum,
 R I f
 lauda
 spes
 vincia
 ta A
 sua e
 dine
 eoqu
 fieba
 dienc
 imò
 T H O
 cum
 locur
 sentia
 men
 redd
 valet
 am j
 viror
 indie
 gisqu
 lum
 ut lo

MEURERI.

nisi autoritate amplissimi Collegii medici, in demortui Decani dignitatem & professionem successisset, quod munus cum requirat non solum theoriâ eximium medicum, sed etiam praxi celebrem: MEURERI studio & labore totos annos XIV. est laudabiliter & integrè administratû. Quæ spes de MEURERO ad arduam hanc provinciam administrandam vocato erat à tota Academia Lipsensi concepta, eam ille sua eruditione, diligentia & docendi ordine ac perspicuitate longè superavit. Ideoque indies major studiosorum concursus fiebat, ad eximium illum Philosophum audiendum, & multi clari in Academia viri, imò magnus ille PHILIPPUS MELANTHON VVitebergâ adveniens non rarò cum IOACHIMO CAMERARIO visus est locum doctrinæ illius accedere, & sua præsentia novum Professore per se satis commendatum, auditoribus & toti Academiæ reddere commendatiorem. Multum enim valet ad studiosam præsertim adolescentiam iudicio carentem, præclara magnorum virorum de docentibus existimatio. Hinc indies MEURERI autoritas magis magisque crescebat inter collegas suos, qui illum paulò post idoneum iudicabant, ut loco Cancellarii Academiæ, quod

)(Episco-

Procancel-
larius in
Facultate
Philoso-
phica de-
signatus
anno 46.

Episcopi Martispurgensis peculiare est of-
ficiū, totum actum promotionis eorum,
qui summo in artibus humanioribus gradu
erant decorandi, gubernaret ex clementis-
sima concessione AUGUSTI Ducis Sa-
xoniae eo tempore administratoris Politici
ejus diocesis, cum coadjutor esset rerum
Ecclesiasticarum GEORGIUS Princeps An-
haltinus. Haec causa fuit, quod undiquaque
viri docti ejus amicitiam expeterent, tam
apud nos, quam in aliis Germaniae locis.

Amici illi-
us præci-
pui.

Inter nostros præcipui fuerunt CASPA-
RUS BORNERS, quem ut patrem co-
luit: IOACHIMUS CAMERARIUS,
IOANNES PFEFFINGERUS, A-
LEXANDER ALESIVS, HEIN-
RICUS SALMUTHUS, LEONAR-
TUS BADHORN, VICTORINUS
STRIGELIUS, quos non tantum re-
bus secundis amavit, sed etiam in adversis
nunquam deseruit; Vitebergæ LUTHE-
RUM, MELANTHONEM, PAULUM
EBERUM, IUSTUM IONAM, PEUCE-
RUM: Tiguri GESNERUM: Tubingæ
FUCHSIUM & SCHECKIUM: Ar-
gentorati STURMIUM & GERBE-
LIUM amicissimos habuit. Quid dicam
de VVERTERIS, NÆVIIS, FABRI-
CIIIS fratribus? quid de aliis aliorum lo-
corum

MEURERI.

corum viris celeberrimis, quorum postre-
 mus non est GEORGIUS AGRICOLA rerum metallicarum scriptor nobilissi-
 mus? Dies profectò me deficeret literis le-
 gendis, quæ sunt apud hæredes, virorum
 præstantissimorum, quibus singularem a-
 morem suum in MEURERUM nostrum
 sunt testati, & magnam ingenii & eruditio-
 nis laudem illi tribuerunt. Apud externos
 verò quam semel contraxit amicitiam hu-
 manitate & candore suo, eam constantis-
 simè retinuit, & coluit sanctissimè. Testes
 sunt literæ PAULI MANUTII Veneti,
 APOLLONII & NICOLAI MAS-
 SÆ, medicorum excellentissimorum, &
 LUCÆ GAURICI Astronomi Roma-
 ni, qui non dubitavit epistolam MEURE-
 RI, propter ea quod ex Ciceroniano fonte,
 ut ipse loquitur, esset deducta, tum aliis
 viris doctis, tum verò ipsi summo Pontifici
 legendam dare. Sed ne ab instituto longius
 digrediar, redeo ad MEURERUM, cui an-
 nus ætatis 35. multum honoris & autorita-
 tis attulit. Etsi enim tum propter urbis ob-
 sidionem, tum propter contagium, quod
 obsidionem est secutum; unà cum aliis qui-
 busdam Professoribus publicis iisque præ-
 cipuis Lipsiâ secesserat: tamen cum fato
 functus esset CASPARUS BORNERUS,

Absens -absens ex Collegio Principis minori in ma-
translatus -jus est translatus, quod antea quoque dixi-
ex Colle- mus, cum prensationes & ambitus legibus
gio princi- etiam prohibiti nondum essent usitati.
pum mi- Cumque post illam honoris accessionem
nori in ma reverteretur ad operas publicas, hiberni se-
jus; anno mestris Rector unanimi electorum consen-
47. su factus est, quod munus grave eâ gessit
Rector A- fide & diligentia, ut sequentibus annis unâ
cademiæ cum IOACHIMO CAMERARIO, gravif-
creatus eo simis de Republica nostra literaria delibe-
dem anno. rationibus interesset, eamque opera & con-
 filio suo stabiliret, augetet, amplificaret,
 ornaret.

Hi labores & curæ publicæ privata ipsius
 studia neutiquam impedierunt. Nam cum
 se arti medicæ devovisset, & tam in Germa-
 nia, quàm Italia ætatis florem in ea con-
 sumisset: anno sequenti, post primum in
 Medicina gradum in disputatione amplif-
 simâ & disertissimâ, quam præside SEBA-
 STIANO ROTHHA habuit de Anima ejusq;
 facultatibus, suorum progressuum in hoc
 genere studiorum edidit specimen illustre;
 quos etiam explorare & commendare non
 dubitavit PHILIPPUS MELANCHTHON,
 qui disputationem hanc suâ præsentia &
 objectionibus ornavit. Quin etiam eodem
 anno, qui fuit ætatis 36. impetratâ prius

con-

MEURERI.

consueto ac solenni more Licentiâ, Medicinæ Doctor, cum BLASIO THAMMULLERO, & BALTHASARE CLEINIO, publica renunciatione creatus, & ad amplissimum medicorum Collegium cooptatus est. Ac licet multos adhuc annos in explicandis iis, quorum gratia ex Italia fuerat evocatus versaretur: tamen utrique collegio fidem datam servavit integrè, docendo Philosophica & faciendo medicinâ, & si quando occasio offerebatur, inquirendo in studia candidatorum medicinæ, quibus etiam clementissima concessione MICHAELIS Episcopi Martispurgensis, tam infimos, quàm summos honores attribuit. Tantus autem Academiae & libertatis Academicæ in eo amor fuit, ut excelso animo plurimas occasiones sperneret perveniendi ad amplissima munera. Cum enim aliquando magni alicujus viri literis benignissimè admoneretur, ut vitæ illi umbratili, quam hætenus egerat, splendorem aulicum præferret: negavit se alterius esse velle, cum suus esse posset. Unum adhuc deerat MEURERO, ut qualis esset ipse, tales quoque de se genitos relinqueret, quibus in hac vita mortali quandam sibi immortalitatem pareret. Quare post serias preces & multas deliberationes cum ami-

Medicinæ Doctor renunciatus anno 48. Postquam primam & secundam in Arte Medica Lauream eodem anno impetrasset.

Procancellarius in Facultate Medica anno 51.

V I T A M

Maritus
 factus an-
 no 49.

 cis cœpit cogitare de conjugio, cujus do-
 mum sedemque sibi delegit familiam anti-
 quissimam & celebrem BLASEBALGIO-
 RUM, & autoribus PHILIPPO MELAN-
 THONE ac IOACHIMO CAMERARIO,
 tanquam pronubis in matrimonium du-
 xit virginem pudicissimam & lepidissimã
 MARGARITAM, filiam CHRISTO-
 PHORI BLASEBALGII, quinquenniò
 antè rebus humanis exenti; cujus Blase-
 balgii soror ANNA, uxor erat D. CASPA-
 RI KEGLERI, medici celeberrimi; Mater
 sceminæ ac matronæ spectatissimæ M A G-
 DALENÆ, uxoris quondam viri clarissimi
 D. Georgii MOSBACHII, piæ recordatio-
 nis, Collegii Medici senioris & Professoris
 publici, Medici experientissimi, & tam de
 Academia hac, quàm urbe præclarè meri-
 ti. Ac fuit hic CHRISTOPHORUS nepos
 IACOBI Ædilis Lipsensis, qui pro sin-
 gulari erga Ecclesiam & literas amore, de
 suo legavit certos redditus, quibus uteren-
 tur adolescentes ex sua familia apti ad stu-
 dia pietatis & bonarum artium. Cujus po-
 stea viduam APOLLONIAM (STE-
 PHANI ALDENBECCII consulis quon-
 dam Fribergensis, & honestissimæ matro-
 næ, MAGDALENÆ, ex antiquâ MON-
 HEUPTIORUM familiâ oriundæ, filiam)
anno

MEURERI.

anno nimirum Christi 1491. duxit in ma-
 trimonium GEORG. à VVIDEBACH, vir
 pius & præclare de hac Republ. meritus;
 cujus beneficam in pauperes liberalitatem
 Lipsiæ quotannis stato die experiuntur
 multa millia hominum. Cum hac M A R-
 GARITA in conjugio vixit annos XXVI.
 & ex illa procreavit liberos novem, filios
 sex & tres filias, ex quibus adhuc supersti-
 tes sunt tres filii: PHILIPPUS, juris utri-
 usque Doctor, vir multiplici rerum expe-
 rientiâ, virtute, doctrinâ atq; autoritate cla-
 rissimus, illustrissimi Pr. IOANNIS A-
 DOLPHI, Ducis Holsatiæ, hoc tempore
 Consiliarius; CHRISTOPHORUS
 Philosophiæ & Medicinæ Doctor, Professor
 Mathematicum in hac Academia, & Lipsen-
 sis Reipubl. Physicus Ordinarius; qui & de
 studiis literatæ juventutis & de civibus hu-
 jus urbis præclare meretur indies; & IO-
 ANNES Artium ac Philosophiæ Magister,
 verbi divini hoc tempore præco in Lesnick,
 vir pius & doctus, atque in vocatione sua
 fidelis & diligens. Præter ea duæ filiæ, qua-
 rum alteram MARGARITAM † habuit in
 matrimonio BARTHOLOMAEUS SÜS-
 MILCH Senator quondam Lipsensis, qui
 ante annos VII. ex hac vita mortali deces-
 sit; alteram CLARAM GEORGIUS

Liberi.

†
 Defuncta
 8. die Maij
 A. 1606.

V I T A

B O L M A N N U S Fribergensis, evocatam ex vitæ hoc curriculo ærumnoso, anno 97. Reliquos vel infantes amisit, ut C H R I S T O P H O R U M & Z A C H A R I A M, quorum uterque cum fratre gemello natus obiit relicto altero superstite: vel in ætatis flore, ut M. V V O L F G A N G U M 25. annorum juvenem egregium, & ad omnia summa natum, & A N N A M virginem annum agentem 20.

Disciplina domestica.

Quam bonus autem paterfamilias fuerit, & diligens rerum domesticarum administratio, & conjugii suavitas, & liberorum pia ac liberalis educatio ostendit. Familiam ita tractavit, ut alacriter domino etiam absenti fidem datam præstaret, studiumque probaret. Conjugem plurimum amavit, eamque singulari comitate conjuncta cum gravitate tractavit. Animadvertit enim sibi eam contigisse vitæ sociam, quam pietas D E O commendabat: humanitas, benignitas, candor, æquitas hominibus in communi vita: pudicitia, sedulitas, taciturnitas marito. Liberis masculis pædagogos præfecit, & ad eorum studia ac mores ipse quoque subinde respexit. Cumque recordaretur, quanto sibi usui fuisset conversatio cum exterarum regionum viris clarissimis: P H I L I P P U M jam Philosophiæ magi-

M E U R E R I.

magistrum factum, & in juris studio aliquot annos versatū in Italiam misit, quem magno cum gaudio vidit reversum, ac publico testimonio ornatum: in illa loca etiam missurus filium CHRISTOPHORUM, nisi publicum docendi munus præter opinionem ei impositum in Academia (A. 84.) consilium patris mutasset. Filias matri educandas reliquit, quam sciebat optimam earum virtutum esse magistram, quas in hoc sexu oportet elucere. Hanc suam charissimam conjugem cum peste extinctam amississet: in luctus acerbitate, viduitate & solitudine reliquum vitæ decennium terere maluit, quam sibi molestiam, liberis novercam, rei familiari calamitatem accersere.

Mors conjugis anno 75.

Vidit tamen conjunx maritum nomine & re Senatorem in Republ. Lipsensi eo tempore, quo maximè illa abundavit viris doctis & sapientibus, in quorum gubernatione PLATO beatitudinem collocat civitatum. Huic dignitati paulò post longè major accessit, cum mortuo nobili & amplissimo viro, D. MARTINO à DREMBACH, Collegii medici Decanus esset factus, & relicta Philosophia medicinam doceret, quam hætenus multos annos fecerat, artem juvante judicio, confirmante

Adscitus in senatū urbis Lips. quinquennio antè, nimirum anno 70.

Designat⁹ Decanus amplissimæ Facultatis med. anno 71.

V I T A

experientia, & sequente felicitate.

In hac statione dum sanctè & integrè persistit, & Dei benedictionem, & Principum in Repub. virorum gratiam, & discipulorum observantiam, & civium gratitudinem prolixè est expertus, donec tandem annis & curis fatur, deficientibus corporis & animi viribus, ex hac misera & caduca vita ad illam beatam & æternam evocatus, in vera invocatione Filii DEI, quem omni vitæ tempore unicum salutis autorem, & perpetuum apud æternum patrem intercessorem religiosè coluit & constanter est confessus, placidè obdormisceret VI. D.

Mortuus
anno 85.

Febr. anno Christi Iesu M. D. LXXV. C.
V. Ann. LXXI. M. VIII. D. XIII. H. X.

Sepultura.

Corpus ejus honorificè sepultum est in templo Paulino ad latus conjugis & filii VVOLFGANGI; quemadmodum ostendit ipsius Epitaphium, quod sequitur; concionem funebrem habente VVOLFANGO HARDERO, S. Theologiæ D. & Pastore templi ad D. Nicolaum, qui pro primis literarum initiis, quæ ex hoc magistro didicerat, hoc ultimum gratitudinis officium animo quidem promptissimo at mœstissimo præstitit. Funus curatum ita, ut ex luctu publico, & omnium ordinum singulari planctu, & comitatu frequentissimo

appa-

MEURERI.

appareret, scholam nostram magno præ-
 fidio, Rempubl. ornamento, cives adju-
 mento fuisse orbatos. Et est cum ipso qui-
 dem actum præclarissimè. Nam gravissi-
 mis curis & molestiis liberatus, majoribus-
 que periculis impendentibus exemptus,
 modò vivit vitam felicissimam & sempiter-
 nam, in perpetuo conspectu Dei, & jucun-
 dissima piorum hominum Angelorumque
 conversatione. Præterea eam de se post obi-
 tum reliquit nominis existimationem at-
 que famam, ut nemo nisi improbus aude-
 at sanctissimos ejus manes turbare: boni
 omnes memoriam optimi viri conservent,
 tueantur, venerentur. Hanc amplificabunt
 monumenta ingenii, quæ hætenus biblio-
 thecis discipulorum & scriniis hæredum
 clausa, deinceps in publicum edentur tam
 in philosophia, quàm medicina, solidæ eru-
 ditionis & singularis perspicuitatis laudem
 auctori apud posteritatem conciliatura. No-
 stræ verò Academiæ & defunctis liberis
 optandum fuerat, licuisse ei nobiscum vi-
 vere diutius, cujus opera privatim & pu-
 blicè multis potuisset esse fructuosa.

Monumen-
 ta ingenii
 ab ipso re-
 licta, ple-
 raq; adhuc
 ἀνεκδοτα

Sed quoniam ita æterno Deo visum fu-
 it: par est nos quoque in clementissima
 illius voluntate acquiescere, & perpetua
 animi gratitudine MEURERI merita ce-
 lebra-

V I T A M E U R E R I .

lebrare, ejusque virtutes imitari, ac Deum
rogare, ut in illius aliorumque præstantissi-
morum virorum, morte nobis creptorum,
locum idoneos successores constituat, &
Ecclesiis pacem, literis ocium, Rebuspu-
blicis tranquillitatem concedat, donec in
illam cœlestem Academiam congregati,
uberem omnium rerum cognitionem
ex ipso sapientiæ fonte
hauriamus.



Saxo

Saxo Sepulchrali, in æde Paulina
Academiae propria, hæc
sunt incisa.

WOLFGANGUS MEURE-
RUS PATRIA ALDENBER-
GENSIS, PHILOSOPHIAE ET MEDICI-
NAE DOCTOR, EIUSDEMQUE FACUL-
TATIS PROFESSOR ET DECANUS,
COLLEGII MAIORIS COLLEGA, AC
REIPUBL. LIPSENSIS SENATOR, VIR
PIETATE, AUCTORITATE, SINCERI-
TATE PECTORIS, VITAE MORUMQUE
GRAVITATE, ERUDITAE DOCTRINAE
EXCELLENTISQUE ERUDITIONIS
COPIA, MULTIPlici RERUM USU
ET EXPERIENTIA CLARUS, DE UTRA-
QUE REIPUBL. PRÆCLARE MERITUS,
NON SINE BONORUM LUCTU EX HAC
MORTALI VITA PIE DISCESSIT, AE-
TATIS SUAE LXXII. DIE VI. FEBR.
ANNO CHRISTI M. D. LXXXV. HOC IN
LOCO AD EXUVIAS DILECTISSIMAE
UXORIS SUAE ANTE DECENNIIUM
PRAEMISSAE SEPULTUS, EXPECTAT
CUM EA, SPES RESURRECTIONIS FU-
TURAE, GLORIOSUM ADVENTUM
SALVATORIS SUI IESU
CHRISTI.

Saxo

Saxo Sepulchrali in æde Paulina Acad. propria hæc sunt incisa.

MARGARETA BLASBAL-
GIA LIPSICA VVOLFGANGI
MEURERI Uxor, MATRONA GENE-
RIS ANTIQVITATE, OMNIUM QVE
MULIEBRIUM VIRTUTUM LAUDE
CONSPICUA, POSTQVAM ANNOS
XXVII. CUM MARITO CLARISSIMO
IN SVAVISSIMA CONIUGII CONSVET-
TUDINE SINE OFFENSIONE VIXIS-
SET, ET NOVEM ILLI LIBEROS PRO-
CREASSET, EX HAC MORTALI VITA
IN VERA FILII DEI INVOCATIONE,
QVEM OMNI VITAE TEMPORE RELI-
GIOSE COLUIT ET CONSTANTER
CONFESSA EST, EMIGRAVIT NON SI-
NE MARITI MOESTISSIMI ET LIBE-
RORUM DILECTISS. DESIDERIO, AE-
TATIS SVAE XLVI. DIE I. OCTOBR.

ANNO CHRISTI.

M. D. LXXV.

CHRIST.

au-

AL-

GI

NE-

VE

UDB

NOS

IMO

VE-

XIS-

RO-

ITA

ONE,

ELF-

TER

NSI-

IBE-

AE-

BR.

OOI

XX

PR

CH

T

STO

STO

STO

STO

STO

STO

STO


STO

STO

STO

Das Sepulchral in sede Pa-
trina Acad. propria hinc
sunt incisa.

MARGARETA BLASBAE
M. G. LIPSIANA V. M. G. A. N. G. I.
M. G. U. X. O. R. M. A. T. A. N. N. A. G. E. M. I.
E. I. S. A. N. T. I. Q. U. I. T. A. T. E. O. R. D. I. N. G. U. E.
M. U. L. I. E. R. I. U. M. V. I. R. T. U. S. U. M. L. A. U. D. E.
C. O. N. S. P. I. C. I. A. P. O. S. T. Q. U. A. M. A. N. N. O. S.
X. V. I. L. C. H. M. M. A. R. I. T. O. C. O. M. M. I. S. S. I. O.
I. N. A. P. A. T. I. S. S. I. M. A. C. O. N. T. R. O. L. L. E. S. E. N. S. E.
T. R. O. I. N. E. S. I. N. E. S. E. N. S. I. P. O. R. T. E. V. I. T. I. S.
S. E. T. I. T. P. O. V. E. M. T. E. N. T. I. S. S. I. M. O. S. T. R. O.
C. R. A. S. S. A. T. E. E. X. H. A. C. P. U. R. T. A. L. I. T. A.
I. N. T. E. R. A. F. I. L. I. D. E. I. N. T. O. C. A. T. I. O. N. E.
Q. U. E. M. O. M. N. I. V. I. T. A. E. T. A. E. P. O. R. T. E. P. A. L.
O. T. I. O. N. E. C. O. N. T. R. A. T. I. T. O. N. I. S. T. A. M. P. T. R.
C. O. N. T. E. R. S. A. E. S. T. L. H. I. C. R. A. V. I. T. N. O. S. S. E.
N. E. M. A. R. I. T. I. M. O. R. T. I. S. S. I. M. I. E. T. I. N. H.
C. O. R. D. I. L. E. C. T. I. S. M. A. S. I. D. E. R. I. O. A. B.
P. U. B. L. I. C. I. S. T. I. M. D. I. E. L. A. C. T. O. R. A.
A. N. N. O. I. N. C. I. S. T. I.
M. D. L. A. X. T. I. I. I.



9





Zc 6439

ULB Halle
004 709 284

3



f

VD 77






WOL

ME

MI



MICHAEL



Kodak
LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

